



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio XXI. De causis prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

quam ipsa presentia. Quod si obicias hinc sequi predestinationem non esse causam nostrae cooperationis liberæ, sed potius effectum. Respondeo predestinationem esse ex parte causam, quatenus predestinatio inchoata est causa primæ vocationis, & aliorum, quæ postea, nobis consentientibus, sequuntur ad gloriam obtinendam: Et esse ex parte effectum, quatenus est predestinatio completa, sive electio absoluta & efficax, propter præuisam nostram cooperationem.

71.
Qui sine effectus prædestinationis

Collige quintò, facile esse in nostra sententia explicare quæ naturæ vel gratiæ dona sint effectus predestinationis? Si enim loquamur de predestinatione sumpta pro efficaci & absoluta voluntate laudæ gloriam, vt in præsentî disputatione sumitur: vnicus est illius effectus, nempe glorificatio, communiter & ordinariè loquendo. Nam extrordinariè, quando Deus aliquem confirmat in gratia ex intentione efficaci illum saluandi propter bona opera præsentia: confirmatio in gratia, & omnia quæ in illa includuntur tanquam media, vt oblatio talium auxiliorum, subtractio occasionum peccandi per moxem præmaturam, & alia eiusmodi beneficia gratiæ sunt effectus predestinationis. Extra verò priuilegium istud paucis concessum, vocatio & iustificatio, & alia omnia beneficia gratiæ, quibus Deus in finem vitæ æternæ præintantum perducit electos, sunt illius causæ. Aliter verò sumpta predestinatione, pro prima illa voluntate antecedenti & conditionata saluandi omnes; omnia gratiæ beneficia, id est, spectantia ad prouidentiam supernaturalem, per quæ Deus procurat hominum salutem præintantum, quæque Deus ab æterno designauit ac præparauit vi illius intentionis, exhibetque in tempore; sunt effectus illius predestinationis inchoatæ & conditionatæ, transcurrentis in absolutam & completam, postquam præuisum est media profutura ad fortiendum bonum finalem statum.

Communitè verò tres effectus præde-

stinationis numerantur, sumpta predestinatione pro æterna illa voluntate antecedenti & conditionata. Vocatio scilicet, iustificatio, & glorificatio. Iuxta illud Roman. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Et quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Ad vocationem reuocantur gratiæ omnes præuenientes: vt auxilia interna & externa, illuminationes, inspirationes, præmotiones voluntatis, miracula, prædicationes, bona aliorum exempla, beneficia diuina, morbi, calamitates, & alia flagella ad bene viuendum excitantia: liber etiam consensus quo paremus vocationi, & alia bonæ nostræ operationes, quibus disponimur ad remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ iustificantis. Ad iustificationem reuocantur omnia dona gratiæ, quæ illam sequuntur: vt virtutes morales infusæ, opera meritoria, augmentum gratiæ, donum etiam perseuerantiæ, & similia. Inter auxilia quoque numerari possunt, & ad primum effectum reduci, natiuitas ex bonis parentibus, bona indoles & educatio, vita longior, vel mors præmatura, quando est occasio salutis, atque etiam permissio peccati, quando ad bonum prædestinati in ordine ad vitam æternam permittitur, vt magis Dei bonitatem diligat, cautior fiat, & vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Ipsa denique substantia prædestinati est etiã effectus predestinationis, posito quòd homines & Angeli creati sint ex intentione Dei, eos ad gloriam perducendi. Etiam quæ ex substantia sequuntur naturaliter, velis proprietas aut affectiones connaturales & necessaria, non sunt speciales effectus predestinationis ultra creationem personæ, sed in illa continentur moraliter. Quia non est nouum beneficium gratiæ, quod qui dat esse, det consequentia naturaliter & necessariò ad esse. Quæ de re plura videri possunt apud Suar. lib. 3. de prædestin. Valq. disp. 93. & Heilce disp. 30.

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA

De causis prædestinationis.

- Sectio I. An prædestinatus sit causa suæ prædestinationis?
- Sectio II. Soluuntur duæ difficultates circa doctrinam præpositam.
- Sectio III. An vnus possit esse alteri causa totius suæ prædestinationis?
- Sectio IV. An Christus sit causa meritoria totius nostræ prædestinationis?
- Sectio V. Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.
- Appendix. De reprobatione, & de libro vitæ.



E re proposita in titulo huius disput. agit S. Doct. quæst. 23. art. 5. & 8. In quorum priori docet quærere causam prædestinationis, non esse quærere causam diuinæ voluntatis prædestinantis: non enim potest assignari causa diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, sed tantum ex parte volitorum: in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud: nullusque fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam diuinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed quæstio solum est, inquit, vtrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam? id est, vtrum Deus prædestinavit se datum effectum prædestinationis alicui propter aliqua merita? Atque ita præsupposito statu quæstionis, cõcludit prædestinationem ex parte effectus totaliter sumpti habere quidem pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur, vt in finem, & ex qua procedit, sicut ex principio primo mouente. Ex parte verò nostra dupliciter posse considerari effectum prædestinationis. Vno modo in particulari: & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam, & rationem alterius. Alio modo in communi: & sic impossibile est totum effectum prædestinationis in communi habere aliquam causam ex parte nostra: Quia quidquid est in homine ordinans ipsum ad salutem æternam, comprehenditur totum sub effecta prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, nisi per auxiliu diuinum, secundum illud Threnor. vlt. *Conuertere nos Domine ad te, & conuertemur.* Quapropter errauit Origenes existimans effectus prædestinationis præordinari alicui propter merita præexistentia in alia vita: contra illud Apost. Roman. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliqui boni egissent, vel mali non ex operibus &c.* Errarunt etiam Felagiani affirmantes merita præexistentia in hac vita esse rationem, & causam effectus prædestinationis: ita vt initium bene faciendi sit ex nobis, consummatio vero à Deo: & vni detur effectus prædestinationis, non alteri: quia vnus iudicium dedit, se preparatio (viribus solis naturalibus) non alius. Contra illud Apost. 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Errarunt quoque alij, qui dixerunt merita sequentia prædestinationis effectum esse rationem prædestinationis, ita vt Deus det alicui gratiam, & præordinauerit se daturum, quia præseuit eum bene vsurum gratia. Nam id, quod est gratia, est prædestinationis effectus: & non potest poni vt ratio, & causa prædestinationis, cum sub prædestinatione, & illius effectum comprehendatur.

In posteriori docet prædestinationem, quoad ipsam præordinationem diuinæ voluntatis, à nullo iuari posse. Non enim precibus Sanctorum fit vt aliquis prædestinetur à Deo. Quoad effectum verò, iuari posse Sanctorum precibus, & alijs bonis operibus. Quia prouidentia, cuius prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas: sed sic prouidet effectus, vt etiam ordo causarum secundarum subiaceat prouidentia. Vnde prædestinatis conandum est ad bene operandu, & orandum: quia per huiusmodi, effectus prædestinationis certo impletur, iuxta illud 2.

Pet. i. Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciat. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus elucidabuntur.

SECTIO I.

An prædestinatus sit causa sua prædestinationis?

Statu quoque questionis exponitur.

Prædestinatus non est causa meritoria totius quæ prædestinationis.

Prima vocatio non cadit super meritum.

Nota primò, sermonem esse in præsentis disputatione, non de causis physicis, de quibus nulla hic est specialis difficultas: sed de causis moralibus & meritorijs, sumendo causam moralem & meritoriam non tantùm pro meritoria de condigno: sed etiam pro impetratiua, satisfactoria, dispositiua moraliter, aut meritoria de congruo. Nota secundò, nomine prædestinationis, cuius causas morales inquirimus, intelligi posse vel actum Dei liberè prædestinantis, vel effectus temporaneos qui sunt obiectum actus diuini ad prædestinantis. Prior est prædestinatio proprie dicta & formalis. Posterior, obiectiua tantùm. Tertio, quæ potest sumi vel adzquate & totaliter, vel inadzquate & pro aliqua parte distaxat. Ex gratia potest, an prædestinatus, vel quis alius, fuerit causa meritoria totius prædestinationis formalis quoad omnes eius partes; etiam quoad primam, & antecedentem intentionem saluandi prædestinatum? An verò tantùm quoad aliquam partem, siue quoad aliquem actum, puta quoad voluntatem efficacem & absolutam iustificationis, vel glorificationis? Similiter potest esse questio, an prædestinatus sit causa meritoria totius suæ prædestinationis obiectiue, id est, omnium effectuum prædestinationis formalis, etiam primæ vocationis? An verò tantùm partis alicuius, puta iustificationis, augmenti gratiæ, perseuerantiæ, & glorificationis?

His prænotatis, dico primò prædestinatum non esse causam meritoriam totius suæ prædestinationis, siue formalis, siue obiectiue. Prima pars conclusionis, de formali, patet: quia Deus ante præuisionem operum intendit omnibus gloriã antecedenter ex suo mero beneplacito, per affectum simplicis desiderij: ergo nõ propter bona eorum opera ut merita. Secunda pars de obiectiua, probatur: quia prædestinatus non est causa meritoria primæ vocationis, quam non meruit per opera præcedentia. Si quidem ante illam non poterunt præcedere nisi opera naturæ, sed opera naturalia, si quæ ante talem præuisionem fuerint facta, non possunt esse causa meritoria primæ vocationis, neque de condigno, neque de congruo, neque villo alio modo, vt contra Pelagianos & Semipelagianos definitum fuit à concilio Arausicano can. 3. & quinque sequentibus, itemque can. 17. & 25. & à Trident. sess. 6. præcipue cap. 5. cuius verba sunt, Iustificationis exordium à Deo per IESUM Christum præueniente gratia sumendum esse, id est, ab eius vocatione quæ nullis eorum existentibus meritis vocatur &c. Nota nullis meritis, generaliter & absolute. Similia, & magis expressa habent

Arausicanum loc. supr. cit. Et D. August. passim in libris de prædestinatione Sanctorum, de bono perseuerantiæ, & de correptione & gratia.

Arausicani verba can. 3. hæc sunt: Si quis ad indocationem humanam, gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inducitur à nobis, contradicit Elia & Apostolo dicentibus, Inuentus sum à non querentibus me. & can. 6. Si quis sine gratia Dei credentibus volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri: non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hac omnia siue oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur: aut humilitati, aut obedientie humana subiungit gratia adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipsius gratia donum esse consensit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum sed quod sum. Et sequenti cap. 7. generalissime sic pronunciat: Si quis per naturæ vigorẽ bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere, id est, Euangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui de omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritate, hæretico fallitur spiritum, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: Dite me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed insufficientia nostris ex Deo est. Ac denique can. 8. damnat hæreses aliquos afferentes alium misericordiam, aliam verò per liberum arbitrium posse ad gratiam baptismi venire: & quosdam mysterium salutis æternæ per semetiplos posse conquirere.

Quibus verbis Concilium iam obstruxit omnium Pelagianorum & Semipelagianorum effugijs. Quorum primi affirmabant gratiam Dei proprie sumptam, vt distinguitur à dono creatiuis, totoque naturali ordine, non esse necessariam vel ad credendum & bene operandum, vel vt homo se disponat ad obtinendam iustificationem, vel ad perseuerandum vsque ad mortem, vel ad merendum ex iusticia & de condigno gloriã. Hanc enim fuisse Pelagij hæresin colligitur ex Hieronymo in Dialogis contra Pelagianos, Augustino hæresi 88. & epist. 89. & libris de prædestinatione Sanctorum, ac de bono perseuer. Prospero in epist. ad Ruffin. & Vincentio Lirinensi contra prophanas nouitates cap. 34. Semipelagiani verò negabant quidem libero arbitrio inesse vires sufficientes ad consequendam perfectam iusticiam, perseuerantiã, & salutem: fatebanturque gratiam necessariã esse ad proficiendum in bonis operibus. In quo à Pelagio dissentiebant. Sed tamen ponebãt in libero arbitrio, per proprias vires, affectum quandam credulitatis, & fidem imperfectam, ac voluntatem quandam salutis, & sanitatis spiritualis, per humanum laborem atque industriam, cui subiungeretur gratia per-

Pelagian. & semipelagian.

FINO JS par

Herice

fecta fidei atque iustitiae, & perseverantiae in ipsa. Ita eorum haeresis refertur Herice disp. 2. 5. cap. 3. confirmatque variis antiquorum testimoniis toto in capite, & tribus sequentibus. Recteque vltimo aduertit Cassianum, precipuum inter Semipelagianos, ita errorem suum temperasse, ut concederet aliquos nihil de salute cogitantes, atque etiam nolentes, praeniri a gratia & misericordia Dei. Et ut ipse scribit collatione 13. cap. 18. Desunt alios quidem volentes currentesque (viribus liberi arbitrii) suscipere: alios vero nolentes renitentisque pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem. Contra quem errorem can. 8. concilij Arausicani supra relatus, editus fuit.

Probatur ratio: hominem esse causam totius suae praedestina-

Ratio nemum est, quia bona opera naturalia, si quae ante primam gratiam vocationis fuerunt, non possunt esse causa meritoria auxiliorum supernaturalium, & gratiae vocationis: neque ex natura sua, cum sint in longè inferiori ordine, nullamque habeant proportionem congruitatis aut condignitatis ad statum supernaturalium, quippe quae sunt purè naturalia: neque etiam ex institutione Dei; qui licet potuerit ponere aliquid naturale pro conditione dandi supernaturalia (ut patet exemplo Eliae 4. Reg. 2. vers. 10. pro mittentis Eliaeo duplicem spiritum, si videret suum ascensum in caelum) id tamen non fecit. Neque, si hoc fecisset, haberent propterea in seipsis opera naturalia proportionem condignitatis aut congruitatis ad gratiam: quae proprie sumpta, ut hic sumitur, est aliquid naturae indebitum, superansque totum ordinem & providentiam naturalem.

6.

Consensus quoque ille, quo aliquis perit Deo excitanti, licet aliquo modo sit causa meritoria iustificationis, de congruo: non tamen est causa totius effectus praedestinationis: cum & ipse a Deo causetur, ut dispositio ad gratiam: & contineatur in effectu integro praedestinationis, neque tamen causetur meritorie a seipso: & supponat gratiam vocationis cui consentit. Itè quod Deus hoc modo, & hoc ordine illum excitet, quem praesciuit, si ita excitaretur, non repugnaturum, est effectus praedestinationis: cuius causa non est quod ille repugnaturus non sit: quamvis sit conditio, sine qua excitatio non proderet.

7. Error Originis de animabus creatis ante corpora.

Neque etiam dici potest opera bona & meritoria, ab animabus nostris facta antequam corporibus viderentur, esse causam praedestinationis, ut Origenes existimavit. Cuius errorem de existentia animarum ante ingressum in corpora, & operationibus bonis vel malis, in eo statuta factis, damnarunt Leo primus epistola 93. ad Turibium cap. 10. Concilium Braccarense primum can. 6. & Trid. sess. 5. can. 4. prope finem, conformiter ad illud Pauli Ro. 9. v. 10. *Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent vel mali.* Et fundamentum Origenis, quod alioquin deus foret acceptator personarum, si maiores vocationes non magis meritis daret, nullum est. Neque enim Deo repugnat quatenus acceptio seu praedestatio personarum, sed tantum vitiosa & iniusta, qualis illa non est.

Præterea recurri non potest ad merita purè conditionata, ad quae recurrerant Semipelag. Nam primò, Deus non praemiat, aut subit, nisi propter merita realia aliquando existentia. Secundò, si Deus puniret peccata conditionata, non saluaret eum quem rapuit, ne malicia mutaret intellectum eius. Tertio, Tyrus & Sidonij erant credituri, si Christum miracula facientem viderent, Mat. 11. Nec tamen ideo saluati. Quarto, cum homines in quibusdam circumstantiis bene acturi essent, in aliis male: cur potius Deus hoc praemiat, quam illa puniret? Vix vllus Beatorum est, qui non in aliquibus circumstantiis potuerit causam damnationis præbere: nullus etiam reproborum, qui non causam salutis. Ergo deberet Deus vel neminem damnare, vel neminem saluare. Aut si boni conditionate futuri ratione potius haberet vellet quàm mali, deberet omnes saluos facere.

Denique recurri etiam non potest ad merita reipsa futura post primam gratiam infusam & habitualem, nisi vel deus vocet, & plus vel minus, ideo quia prouidit merita illa futura; ut sentit vltima Aletensis parte 1. q. 28. mēbre 3. ar. 3. Licet enim potuerit Deus vti prouisione futurorum ad conferendā hanc naturalia siue supernaturalia, iis qui recte acturi essent & non aliis: noluit tamen hanc regulam sequi: sed plurimis post prauis opera pessima contulit maxima gratiae dona: ut Angelis rebellibus, Salomoni, Iudae, & similibus. Vnde illud Mat. 11. *Pauci Corosaim &c.* Ex quo etiam locum Scripturae patet, Deum non dedisse omnibus ea dona quae illis profutura fuissent. Deinde quamuis Deus ita constituisset: tamen illi effectus boni futuri, non essent causa meritoria primae vocationis, quae illis praesupponitur tanquam principium in genere causae efficientis moraliter. Nam principium meriti non cadit sub merito, neque est effectus illius ad quod praerequiratur tanquam pars causae efficientis. Adde concilium Arausicanum supra citatum excludere omne prorsus meritum ex parte nostra, respectu primae vocationis.

Dico secundò praedestinati esse posse causam meritoriam alicuius partis suae praedestinationis, tam formaliter, quàm obiectiue sumptae: & reipsa est, quotiescunque saluatur vt adultus. De paruulis autem, & amentibus perpetuis euident est ipsos esse incapaces merendi. Probatur conclusio: quia de fide est iustus, per opera bona facta in gratia, meritis augmentum gratiae, gloriae, augmentum gloriae, vitam aeternam, eiusque consecutionem, si in gratia decesserint, ex Trid. sess. 6. can. 3. 2. & cap. 16. Ergo merentur aliquam partem suae praedestinationis obiectiue, id est aliquos effectus. Et consequenter merentur etiam partem aliquam suae praedestinationis formalis, id est, volitione Dei absolutam & efficacem hanc illis conferendi. Quisquis enim meretur aliquid praemium, quod habere nequit nisi per voluntatem praemiantis; meretur vt ille velit efficaciter vocationi, meretur de congruo, vt Deus vltimò eum promoueat ad finem quem intendit.

Et per opera fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ supernaturalis, meretur de congruo remissionem peccatorum & infusionem habituum supernaturalium, seu iustificationem: vel saltem per huiusmodi actus ad illam se disponit. Itē per preces, sacrificia, vltim sacramentorum, elemosynas, & alia bona opera supernaturalia, potest impetrare sibi auxilia & beneficia gratiæ, atque ipsam donum perseverantiæ. Potest etiam satisfacere iustus pro suis venialibus, & pro pœna ex mortalibus remissis superstitite. Quæ omnia non sunt hoc loco fusiùs exponenda, & confirmanda contra hæreticos huius temporis, sed supponenda ex tractatibus de Iustificatione & merito, de Pœnitentiâ, aliisque locis.

SECTIO II.

Soluntur due difficultates circa doctrinam propositam.

10. **C**ONTRA id quod diximus, non posse hominem per bona opera naturalia, facta ante primam gratiam vocationis, illam mereri vltimo modo, ne quidem de congruo aut impetratiue, duplex occurrit difficultas. Prima fundatur in Tridentino sess. 6. cap. 8. vbi sic loquitur: *Cum verò Apostolus dicit iustificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpeius Ecclesia Catholica consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem idē iustificari dicatur: quia fides est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad gloriam eius consortium pervenire. Gratis autem iustificari idē dicitur: quia nihil eorum, que iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur. Si enim gratia est, iam non ex operibus. Alioquin, ut idē Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. Huc vsq; Trident. Cuius postrema verba enervant argumentum quo probari solet gratiam primæ vocationis non dari propter bona opera naturalia, viribus liberi arbitrij facta; nempe quia sic non daretur gratis. Nam ex Trident. vt detur gratis, sufficit non dari propter opera naturalia, vt merita de condigno, quamvis detur propter illa vt merita de congruo, vel impetratiue. Sicut ex Trid., iustificari gratia dicitur, id est, obtinere remissionē peccatorum & gratiam sanctificantem, eod quod neq; fides, neq; bona opera que illam præcedunt ex parte nostra, pō promerentur de condigno iustificationē: quamvis illam promereantur de congruo, vt docet S. August. ep. 105. & 106. & ad illam disponant, vt docet Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. & sess. 14. cap. 4. Est autem absurdum dicere enervari à Trid. argumentū illud, quo non modo Theologi, sed & Summi Pōtifices Cælestinus, & Leo, & Concilia Milevit. & Arauscan. & SS. Patres August. Prosp. Fulgentius, aliiq; frequenter & constanter vsi sunt contra Pelagianos.*

Difficultas circa Trident. nū prima vocatio cadat sub merito de congruo.

August. Tridcat.

Secunda difficultas sumitur ex cōmuni axiomate, Faciēti quod in se est, Deus non denegat gratiā: ex quo sequitur quod faciēti, quicquid in se est per vires liberi arbitrij, & bene operanti naturaliter quantum potest, Deus gratiam non denegabit. Ergo potest obtineri gratia per bona opera naturalia dispositiue, vel impetratiue, & meritoriē de cōgruo. Nepe quia congruum est, vt Deus prouehat ad maiora, eum qui in minoribus fidelis est: & viā salutis ostendat & aperiat, quærenti quantum potest. Vnde etiam docent pleriq; Theologorum Deum non permitturum vt moriatur sine vocatione ad fidem & sufficienti illuminatione supernaturali, ille qui legem naturalem quantum potest seruauerit.

Ad primam difficultatem respondēt aliqui Trident. verbis relatiue intelligere nomine iustificationis, totum illius progressum à prima vocatione vsque ad infusionem gratiæ sanctificantis & remissionem peccatorum inclusiue: sicut aliquando nomine generationis intelligitur totus progressus à primis dispositionibus inclusiue, vsque ad introductionem & vnionem substantialis formæ. Est autem verum nihil eorum que præcedunt iustificationem tam latē sumptā, eam mereri, ne quidem de congruo: quia opera naturalia, que sola possunt præcedere iustificationem tam latē sumptam, nō merentur primam vocationem.

Sed hæc expositio in eo peccat, quod facit Conciliū valde æquiuocē loqui. Nam dubitari nequit, quin verbis præcedentibus cap. 7. nomine iustificationis intelligat remissionem peccatorum & infusionem habituum, distinctam ab actu fidei, & aliis operibus præuis tanquam dispositionibus, vt patet ex toto capite 6. & initio capitis septimi. Et capite 5. dixerat vocationem esse iustificationis exordium: per illamque, & gratiam adiuuantem, hominem se disponere ad iustificationem. Ergo nisi de eadem loquatur capite illo 5. eodem sensu quo præcedentibus capitibus 5. 6. & 7. valde æquiuocē locutum est. Unde iustificatio sumpta pro toto progressu, includit fidem & alia bona opera, que, velut dispositiones formæ sanctificantis, enumerauit Trid. cap. 6. Atq; Trid. cap. 8. distinguit iustificationē, de qua loquitur, à fide & aliis operibus, tanquam præcedentibus: ergo non loquitur de iustificatione sumpta pro toto progressu, sed solum pro remissione peccatorum & infusione habituum supernaturalium, que sequitur post actum fidei & alias dispositiones, vt ait idē Conciliū initio capitis 7. respectiue ad caput 6.

Alij secundo, dicunt Trident. quidem loqui de iustificatione formaliter sumpta, & distincta à dispositionibus: sed nomine fidei & operum præcedentium, per que dicit nos eam non mereri, intelligere fidem naturalem, & opera viribus liberi arbitrij facta, iuxta sententiam Semipelagianorum. Verum hæc expositio est omnino violenta. Neque enim negari potest, quin verbis immediatē præcedentibus, nomine fidei, per

Prima expositio cario difficultatis proposita.

13. Non satis facit.

14. Secunda expositio relictur vt violenta.

FINO
S.
PART.

quam cum Apostolo ait nos iustificari gratis, quamue dicit esse initium, radicem, & fundamentum iustificationis, intelligat fidem supernaturalem. Ergo de eadem loquitur quando immediate post addit, nos nihilominus dici gratis iustificari, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Similiter autem per opera intelligit alios actus, quos enumeravit cap. 6.

Alij tertio aiunt concilium per fidem, & opera quæ iustificationem præcedunt, intelligere solum ea quæ præcedunt tempore. Hæc autem ne de congruo quidem merentur gratiam iustificationis: sed tantum vltima dispositio, quæ natura solum præcedit.

Sed contra: primo, manifestè idem Concilium cap. 7. initio per ea omnia quæ iustificationem præcedunt, intelligit etiam vltimas dispositiones, cum ait: *Hanc dispositionem* (completam & perfectam, qualem descripsit cap. 6.) *iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, &c.* Affirmat autem cap. 8. generaliter, nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, ipsam promereri: Ergo intelligit vltimas quoque dispositiones non eam promereri. Nam & illæ quoque præcedunt, iuxta phrasim Tridentini, & iustificatione illas consequitur, ut ait cap. 7. initio. Secundo, idem Concilium eodem capit. 7. assignans causam iustificationis formaliter sumptæ, & distinctæ ab omnibus dispositionibus, dicit causam eius efficientem esse misericordem Deum, qui gratuito abluuit & sanctificat. Ergo censet adhuc post vltimam dispositionem gratuito dari iustificationem. Confirmatur, quia nunquam idem Concilium asserit iustificationem dari ut mercedem respondentem merito: sicuti asserit de augmento gratiæ, gloria, & augmento gloriæ. Ergo censet iustificationem dari gratis aliter quam augmentum gratiæ, & gloriam, atque augmentum gloriæ: tamen hæc dantur gratis remore, in radice primæ vocationis. Intelligit ergo iustificationem dari gratis, etiam proxime & immediate. Adde quod ratio à Tridentino adducta id postulat, *Si enim gratia est, iam non ex operibus, quod de immediatis, & natura solum præcedentibus, quæ verum est.*

16. Idem argumentis refutat, quod ait Herice dist. 25. num. 90. Tridentinum loqui tantum de fide, & operibus, præcedentibus vltimam dispositionem ad iustificationem, cui soli, & non aliis præcedentibus annexa est infallibiliter iustificatio: ideoque sola est meritum de congruo, habens infallibilem connectionem cum præmio ex promissione Dei.

15. Quarta expositio refellitur. Alij quarto respondent Concilium loqui de fide & operibus supernaturalibus quidem, sed prout ex nobis sunt, non autem prout ex gratia sunt. Prout autem à nobis sunt, seclusa gratiæ consideratione & dignitate, non merentur de congruo gratiam iustificationis.

Sed contra: idem Concilium posset de nostris meritis de condigno, & tamen Tridentinum

nunquam negat augmentum gratiæ & gloriam dari ex merito, sed potius asserit contrarium affirmat. Longèque aliter loquitur de iustificatione & de eius augmento, ac de gloria, ut antea notavi. Secundo, hæc expositio facit ut ne quidem Tridentini loco citato definiatur iustificationem non ita dari gratis, ut non detur ex operibus nostris tanquam meritis de condigno prout fiunt ex gratia: quamuis eadem opera non sint merita de condigno, neque de congruo, seclusa gratiæ consideratione cuius viribus & influxu fiunt atque nobilitantur.

Alij quinto dicunt Tridentinum loqui tantum de merito de condigno, solumque asserere nihil eorum quæ præcedunt iustificationem, eam mereri de condigno. Neque propterea enervari argumentum Farrum & Conciliorum contra hæresim Pelagianorum & Semipelag. quia Patres & Concilia eodem sensu, quo Tridentinum, contra illos argumentantur: qui ponebant in illo suo initio fidei vel salutis per vires naturales, meritum de condigno. Sed hoc incertum faciunt quæ in contrarium opponi solent. Primum quod ipsimet Semipelagiani profiteri videntur interdum se loqui tantum de merito de congruo. Sic enim habet Cassianus, inter ipsos præcipuus lib. 12. de institutis Renunciantium cap. 14. *Dicimus enim secundum Salvatoris sententiam dari quidem peccatis, & operibus peccatis, & a quærensibus inveniri. Sed peccationem & inquisitionem, & pulsationem nostram, non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus, dederit.* Et collatione 13. cap. 13. *Ne videatur irrationalis Dei munificentia (nimirum per acceptionem personarum) gratiam suam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris imperij & nihilominus gratia Dei semper gratuita profuerat, cum exiguis quibusdam parvisque contrariis tantam immortalitatis gloriam, tanta pervenit beatitudinis dona inestimabili virtute largitate.* Quibus verbis ostendit se demissius sentire de merito humani desiderij, conatus, & laboris, gratiæ prævij, quam vellet esse meritum de condigno, id est, habens de se, & secundum suum valorem, condignitatem & æqualitatem cum præmio.

Secundo, Augustin. Prosper, Fulgent. alijque Patres Semipelagianos refutantes, nunquam hunc errorem illis tribuunt: sed potius significant illos fuisse contentos merito de congruo. Videte, inquit August. libro de prædestin. Sanctorum cap. 2. *Si quid agitur isto modo, nisi ut gratia secundum meritum nostrum deus quolibet modo: ac si gratia non sit gratia.* Eodemque libro sæpius & sequenti de dono perseverantiæ, reprehendit in Semipelagianis, quod in operibus naturæ ponerent meritum, quale nos ponimus in fide supernaturali respectu remissionis peccatorum. At hoc est tantum meritum de congruo, quod ipsemet Aug. admittit epist. 105. longe ab initio, cum sic ait: *Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito*

merito est, si fides hanc impetret. Neque enim melius est meritum fidei. Quia fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. Et descendit iustificatus merito fidelis humilitatis. Et epist. 106. Si quis dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imò gravissimè confitemur. Tertio, Concilium Arausicanum, celebratum contra Semipelagianos, non eos damnat quòd in operibus naturalibus ponent meritum de condigno: sed generaliter quòd gratiam facerent naturæ pedissequam, quòdque vellent initium gratiæ sumi ab illis operibus: nobisque sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus, misericordiam conferri, ut patet ex canonibus, 3. 6. & 7. relatis supra num. 3.

39. Denique ratio quæ movebat Semipelagianos ut tale initium gratiæ ponerent in operibus naturæ, erat ut à Deo remouerent vitium acceptionis personarum. Atqui satis remouebant ponendo meritum de congruo: ergo non erat, cur illis tribuerent meritum de condigno. Deberunt tamen ex illo fundamento tribuere illis meritum de congruo infallibiliter connexum cum præmio, cuiusmodi non est quodcumque meritum de congruo. Alioquin enim manifestet difficultas, quomodo Deus non esset acceptor personarum, concedens vnis gratiam, & non concedens aliis, propter eadem opera naturalia? Et quamuis his omnibus responderi probabiliter possit, illique non obstantibus probabiliter sit Semipelagianos, æquè ac Pelagianos, tribuisse operibus naturalibus vim merendi de condigno, respectu gratiæ, ut dicemus in tract. de gratia, vbi prædictis argumentis respondebimus. Cum tamen res incerta sit, & non pauci graues Theologi contrarium sentiant cum probabilitate, non puto verum sensum definitionis Tridentini à fundamento tam incerto pendere.

20. Reiectis itaque his respondendi modis cenfeo Tridentinum verbis relatis ex capite 8. sess. 6. per gratiam iustificationis intelligere, ut vbiq; alibi, iustificationem formaliter & præcisè sumptam: & per fidem, & opera quæ illam præcedunt, intelligere actum fidei supernaturalis, & alios actus disponentes ad iustificationem, quos enumerauerat cap. 6. Cum autem dicit, Nichil eorum quæ ipsam præcedunt, nimirum neque fidem, neque alios actus prærequisitos, eam promereri: loquitur tantum de merito de condigno. Neque enim existimandum est doctrinam S. Augustini paulò ante relata, hoc capite damnari. Ad hoc verò probandum valet à fortiori ratio quam subiungit: Si enim gratia est, iam non ex operibus. Alioquin ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. A fortiori, inquam: si enim gratia excludit opera ut merita de congruo, iuxta Apostolum verbis relatis: multò magis ea excludit ut merita de condigno. Potest autem hæc definitio Concilij

Tomus I.

Tridentini & argumentandi modus, cum doctrina & modo argumentandi sanctorum Patrum & aliorum Conciliorum ac Summorum Pontificum facillè conciliari, si dicamus, dupliciter aliquid dici fieri gratis. Primo, purè gratis: & tunc non fit ex vllò merito, siue de congruo, siue de condigno. Secundò, non purè gratis, sed ex misericordia vel liberalitate adiuncta, operi de se insufficienti, & cum omnibus suis circumstantiis adhuc indigno tanto beneficio. Et tunc non repugnat fieri ex merito de congruo, id est, cui propter quandam decentiam conceditur tale beneficium, superàs eius valorem & dignitatem. Priori sensu loquuntur & argumentantur Patres, Pontifices, & Concilia antiqua, contra Semipelagianos, disputando de prima gratia vocationis, quæ datur purè gratis. Posteriori sensu loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 8. vbi non damnat Semipelagianos, quos obiter tetigerat cap. 5. dicens *exordium iustificationis sumi à gratia præueniente, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*: Sed contra Lutheranos exponit quo sensu iustificatio formaliter sumpta dicitur fieri gratis, quamuis ad illam prærequirantur in multis fides & aliqua bona opera. Gratis, inquam, proximè, & non tantum remotè in radice primæ vocationis, quæ datur purè gratuito.

Dices sanctos Patres & Concilia probare contra Semipelagianos primam vocationem dari purè gratis, quia alioquin non esset gratia. Si enim ex operibus, iam non est gratia. Respondeo primò, non probare ex illis solis, sed adiunctis aliis quæ ostendunt dari purè gratis, & esse puram gratiam: cuiusmodi sunt illa citata ab Arausicano supra num. 3. ex can. 6. & 7. Et ab Augustino passim, *Quid habes quod non accepisti? sine me nihil potestis facere. Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo*. Respondeo secundò, bene ex eo probare, quia gratia primæ vocationis non est gratia, si debetur infallibiliter naturæ operibus, ut volebant Semipelagiani, quemadmodum ex eoràm fundamento clare deduximus numero 19. Quia quid enim debetur naturæ eiusque operibus, & præsertim infallibilitate, vnicuique, non est gratia propriè dicta, & distincta à dono creationis, de qualis erat cum Pelagianis & Semipelagianis; ut patet ex Actis Concilij Palæstini, & ex Arausicano sequens can. 5. & 7. variisque D. Augustini locis.

22. Circa secundam difficultatem initio propositam, non defuerunt Theologi qui dicerent opera bona naturalia disponere ad gratiam, & esse causam inquam prædeterminationis. Quod tamen variè opinati sunt. Nonnulli enim docuerunt opera naturalia non modò disponere ad primam gratiam vocationis, sed etiam ad gratiam sanctificantem: idque proximè & immediatè,

Qo

Altera difficultas sumpta ex axiomate Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Aliqui de
Theologis
impegerunt
in exco[m].m
Semipelag.
circa prima
vocatione
meritis
naturalibus,

atque communiter seu regulariter & infallibiliter. Ita Scotus in 4. distinct. 14. qu. 2. §. De secundo, ubi etiam dicit talem dispositionem esse meritum de congruo ad remissionem peccati mortalis: esseque difficile Deum excusare à vicio acceptionis personarum, nisi dñs illa tali dispositione; & Gabriel eadem distinct. quest. 1. art. 2. post conclusionem quintam lit. E. ubi dicit peccatorem se dispo[n]ere sufficienter ad iustitiam & remissionem peccati, per detestationem peccati cum communi Dei influxu naturaliter conceptam. Et in 3. distinct. 27. qu. vnica art. 3. dub. 2. disertè affirmat posse hominem diligere Deum super omnia ex puris naturalibus, tam ex parte intellectus, quam voluntatis: peccque huiusmodi dispositionem consequi infallibiliter gratiam, non modò primam auxiliantem; sed etiam iustificantem, id est, charitatem, & remissionem peccatorum mortalium. Adeundem errorem proximè accessit Caietanus tomo 1. opusculorum tractatu 4. qu. 1.

Alij negarunt id fieri Communiter: voluerunt tamen in casu inculpabilis ignorantie legis Euangelicæ, et notitiæ quòd Deus offendatur peccatis hominum, sufficere opera naturalia, non modò ad primam gratiam excitantem: sed etiam ad iustificantem. Ita Andreas Vega lib. 6. in Trident. cap. 20. & sequentibus. Et lib. 13. cap. 25. Eorundem verò in 2. sententiarum distinct. 18. qu. 3. artic. 3. & Canus in electione & penitentia, censent dolorem naturalem sufficere ad iustificationem in sacramentis baptismi & penitentia.

Alij tertio licet negent opera bona naturalia esse proximam & sufficientem dispositionem ad iustificationem in illo casu: senserunt tamen posse dari dispositionem siue ad gratiam vocationis, siue ad fidem, per opera bona naturalia viribus liberi arbitrij facta. Ita Ricardus 2. dist. 28. & vix minimum idem docent Durandus in 2. distinct. 28. qu. 5. & Iauellus in tract. de prædest. ad 1. p. D. Thomæ quest. 23. cap. 5. Idem quoque videtur sensisse D. Thom. in 2. dist. 7. qu. 2. art. 1. & dist. 28. qu. 1. art. 4. & qu. 14. de veritate art. 21. in responsione ad 1. sed ab e. roze illum liberare, & in bonum sensum explicare conatur Herice. disp. 26. cap. 3. num. 25. Omnino atrem si ita sensit, retractavit sententiam, & contrarium docuit in posterioribus suis operibus, nempe in quodlibeto 1. artic. 7. ubi ait pertinere ad errorem Pelagianum, dicere quòd homo possit se ad gratiam preparare absque auxilio diuinæ gratiæ: esseque contra Apostolum, qui dicit ad Philippens. 1. *Qui capit in vobis opus bonum, in se perficiet.* Et 1. part. quest. 23. art. 5. in corp. & r. 2. quest. 179. artic. 6. ubi ex professio hac de re disputat, concludit hominem non posse ad gratiam se preparare sine auxilio

gratiæ: sed oportere præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, animam inuentis, seu inspirantis bonum præpositum; iuxta illud Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.*

Cuiuscunque autem fuerit illa sententia, continet errorem Semipelagianum, damnaturque aperte à Concilio Arausicano canonibus suprâ relatis numero tertio. Duæ verò priores, deteriores sunt, & ad Pelagianismum magis accedunt: damnanturque non solum ab Arausicano ibidem: sed etiam expressè à Tridentino sessione 8. canone 3. ubi generatim sic pronunciat: *si quis dixerit sine Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Loquitur autem Concilium generaliter, etiam de iustificatione quæ fit per sacramenta, ut patet ex cap. 7. & de iustificatione facta per sacramentum penitentia cum contritione, vel attritione, idem docet sess. 14. cap. 4.

His ergo erroribus reiectis respondendum est ad difficultatem propositam, verum sensum illius axiomatis, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, duplicem esse. Primum, Facienti quod in se est cum auxilio gratiæ, Deum non denegare gratiam vltiorem, ad quam illum incitat & adiuuat. Secundum, Facienti quod in se est, per vires naturales, & quantum potest vitanti peccata, legi naturali opposita, beneque operanti moraliter, Deus non denegat gratiam, non tanquam illam merenti, aut ad illam se disponenti (dispositio enim debet habere aliquam proportionem cum forma, quam non habent opera naturalia cum gratia) sed tanquam remouenti impedimentum vocationis, & illuminationis diuinæ per Christum, qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. Nam si Deus illos etiam illuminat misericorditer & gratuito, qui per peccata ponunt impedimentum illuminationi: multò magis eos qui faciunt quicquid possunt ut vocationi ac misericordia diuinæ obstaculum non ponant. Quare iure id præsumunt Theologi de Dei bonitate, & sinecèsa voluntate saluandi omnes homines: quòd nimirum si faciunt quicquid possunt, Deus saltem aliquando ante mortem eos illuminabit sufficere ad salutem. Si autem aliqui Theologi plus operibus naturalibus tribuerunt, populumque aliter docuerunt: fuerunt illi pauci supra numerati, quibus longè maior pars Theologorum restitit. Quæ nuncquam pars Ecclesiæ maior in illorum errorem fuit inducta.

Vega.
Sotus.

Canus.

24.

Rica. d.
Durand.

Iauellus.

D. Thom.

Herice.

SECTIO III.

An vnus possit esse alteri causa totius suae praedestinationis?

37. **Q**uestio est de puris creaturis. Nam de Christo dicemus sectione sequenti. Loquimur etiam de causa meritoria, eodem sensu quo diximus sect. 1. Quo supposito.

Nulla pura creatura est alteri causa totius suae praedestinationis.

Dico primò, nullam puram creaturam esse alteri causam totius suae praedestinationis formalis. Ratio est quia non est causa illius affectus antecedentis, per modum simplicis desiderii saluandi omnes, quem Deus habuit independentem ad praedestinationem operum creaturarum; ac proinde independentem ab earum meritis. Nec obest quòd aliqui precibus suis impetrant aliam existentiam & natiuitatem. Quia, vt iam alibi diximus, non propterea illis impetrant voluntatem illam Dei generalem saluandi omnes homines quomocumque futuros, sed tantum impetrant subiectum in quod cadat illa voluntas, & obiectum illi quodammodo applicant. Vt incolae regni qui filium gignit, non faciunt eum formaliter subditum regi; sed faciunt hominem, qui fit subditus regi vi institutionis iam olim factae, quòd omnes incolae talis regni, eorumque posterit erunt subditi tali vt regi, puta Pharamundo, eiusque successoribus. Et pater non est causa peccati originalis, quòd contrahit filius: sed est causa eius qui contrahit peccatum originale, propter peccatum Adae, & pactum cum illo initum.

38. Dico secundo, Nullam puram creaturam esse alteri causam meritoriam totius suae praedestinationis obiectivae. Probat quia licet possit vnus alteri mereri plurima gratiae auxilia & beneficia, atque etiam ipsam primam vocationem, vt ostendemus conclusione sequenti: non tamen meretur ipsum suum meritum, quoad omnia quae supponit, & sine quibus non potest esse opus meritorium. Supponit enim remotè primam vocationem merentis, eiusque consensum, quae non cadunt sub eius meritum. Atqui meritum illud est vnum ex effectibus praedestinationis hominis illius in cuius gratiam fit. Ergo non meretur saltem illum effectum praedestinationis alterius. Maior patet ex dictis sect. 1. Minor probatur primò ex D. Augustino libro de bono perseueri, cap. 22. vbi sic loquitur: *Si qui sunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus. Fortassis enim sic praedestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur*: Et Gregorio lib. 1. Dialogor. cap. 8. vbi ait praedestinationem eatenus solum iuari precibus sanctorum: quia ipsa quoque perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi pio labore praueant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante saecula dare disposuit. Quòd

enim loquatur Gregorius de sanctis postulantibus non pro se tantum, sed etiam pro aliis, patet exemplo quod mox affert, Isaac orantis pro conceptu Rebecca, ex quo Iacob & Esau nati sunt. Probat quòd ratione: quia oratio v. g. S. Stephani facta pro salute D. Pauli, quae eius conuersionem impetrauit, fuit sine dubio ex inspiratione & motione Spiritus sancti, qui Stephanum impulit ad orandum pro Paulo, ex affectu & desiderio salutis ipsius. Ergo Spiritus sanctus intendebat illum saluare, & vi illius intentionis assumebat hoc medium, nempe motionem Stephani ad orandum, eiusque orationem pro conuersione Pauli. Ergo Stephani oratio fuit vnus ex effectibus praedestinationis Pauli. Nam est beneficium gratiae respectu Pauli, ordinatum specialiter ad ipsius salutem, datumque ex intentione illius. Neque refert quod oratio illa sit extrinseca Paulo: quia non sola beneficia gratiae intrinseca, & inherencia praedestinato, sunt effectus praedestinationis ipsius: sed generaliter quaecumque gratiae beneficia, per quae veluti media, vel conditiones, aut dispositiones, Deus perducit electos in finem vitae aeternae praesentium, electa seu praeparata ab aeterno, & exhibita in tempore vi illius intentionis.

Dico tertio: Potest vnus alteri mereri suam praedestinationem ex parte, tam formalem quam obiectiuam. Probat quia potest vnus alteri impetrare plurima gratiae beneficia, atque etiam ipsam primam vocationem, conuersionem, & perseuerantiam, hoc est, aliqua necessaria vt saluetur, & per quae saluatur re ipsa. De prima vocatione hoc indicat S. Augustin. verbis supra relatis ex cap. 22. libri de bono perseuerantiae. Et Ecclesia vniuersatae omnia postulat à Deo, supponens obtineri posse, postulat enim cum spe impetrandi. Sententiae communis eiusdem Ecclesiae, & Sanctorum Patrum est, profuisse Paulo preces B. Stephani: & Augustino preces ac lacrymas Monicae matris. Iacobus quoque Apostolus cap. 5. suae epistolae vers. 16. sic nos hortatur: *Orate pro inuicem vt saluemini, nullum enim valet deprecatio in se. Sicut apud Deum.* Iam vero qui meretur, aut impetrat aliquid alteri, quod alter non potest obtinere nisi per voluntatem Dei, meretur quoque aut impetrat vt Deus illud dare velit. Quare quisquis meretur aut impetrat alteri partem suae praedestinationis obiectivae, meretur quoque vel impetrat partem formalem, id est, vt Deus velit illi conferre dona gratiae & gloriae, quae illi meretur aut impetrat.

Notandum tamen est hoc meritum longe differre à merito Christi. Nam Christus nobis de condigno haec omnia meruit, & ex lege infallibili, vt dicemus sectione sequenti. At vnus homo alteri (idèmq; dico de Angelis) meretur tantum de congruo, & ex

29. Potest vnus mereri praedestinationem ex parte.

30.

beneplacito ac dono gratuito Dei, misericorditer acceptantis, sine lege infallibili, ac sine debito iustitiæ, bona vnius opera vel orationes pro salute alterius. Neque modò particulares, sed neque tota Ecclesia semper impetrat conuersionem & salutem peccatorum pro quibus orat.

31. Contra primam & secundam conclusionem opinatur Vasq. disp. 94. cap. 5. affirmans putari hominem iustum posse esse causam omnium effectuum prædestinationis alterius: & consequenter causam esse posse totius formalis prædestinationis ipsius. Nam in sententia Vasquis disput. 91. cap. 1. num. 2. Qui est causa effectus & obiecti, dicitur esse causa illius relationis & respectus rationis in quo consistit prædestinatio formalis, siue actus liber Dei prædestinantis. Quocirca idem est mereri alicui effectus prædestinationis eius, atque mereri quòd diuina essentia referatur ad ipsum relatione illa rationis, quæ completur vt dicatur prædestinatio.

32. Fundamentum Vasquis est, quia omnes effectus prædestinationis incipiunt à prima vocatione. Atqui potest vnus alteri mereri primam vocationem, & reliquos effectus qui post eam sequuntur. Ergo potest illi mereri totam suam prædestinationem obiectiuam, & proinde formalem. Minorem nos concedimus. Maiorem probat primò ex S. Augustino contendente contra Massilienses Semipelagianos, non posse hominem mereri totam suam prædestinationem, quia non potest mereri primam suam vocationem. Accipiens scilicet hæc duo pro eodem, ita vt mereri primam vocationem, & quæ ex ea sequuntur, sit mereri totam suam prædestinationem. Probat secundò, quia cum vnus orat pro altero vt impetret illi primam vocationem, oratio illa non est effectus prædestinationis alterius. Alioquin etiam preces & merita Christi pro electis specialiter oblata, essent effectus prædestinationis ipsorum: atque ita Christus non meruisset omnes effectus prædestinationis nostræ, quia non meruit illas suas orationes & merita. Ergo sciendum est effectus prædestinationis incipere à prima vocatione.

33. Respondeo, maiorem propositionem non esse veram vniuersaliter. Ad cuius primam probationem dico primò Augustinum sibi loqui de eo solùm quod homo sibi ipsi mereri potest: de quo solùm inter ipsum & Massilienses erat controuersia. Non autem de eo quòd vnus potest alteri mereri, aut quòd vnus potest obtinere per merita alterius. Dico secundo probationem Augustini esse bonam, cum infert neminem mereri totam suam prædestinationem ex eo quòd non meretur primam suam vocationem, quæ est vnus ex effectibus prædestinationis, siue sit omnium primus, siue non. Quamuis non sumat hæc duo pro eodem: neque valeat conuersione, seu contrariè, propositio affirmatiua, Ergo si meretur primam suam voca-

tionem, meretur totam suam prædestinationem.

Ad secundam probationem, nego maiorem. Oppositum enim ostendimus num. 28. Ad confirmationem, dico aliam esse rationem necesse & meritum Christi. Nam Christi preces & merita præcedunt ordine rationis & causalitatis totam nostram prædestinationem ad gloriam: etiam quoad primam voluntatem antecedentem & conditionatam, per modum simplicis desiderij, vt ostendimus sectione sequenti. Vnde Christi preces & merita pro nobis oblata, non sunt effectus, sed sunt causa totius nostræ prædestinationis. At verò preces vnius pro altero non præcesserunt ordine rationis & causalitatis simplex illud desiderium salutis ipsius, quòd Deus habet independenter ab hominum operibus, & citra eorum præuisionem: sed potius ex illo sequuntur vt media electa & applicata vi illius desiderij & intentionis saluandi homines.

SECTIO IV.

An Christus sit causa meritoria totius nostræ prædestinationis?

34. Respondeo affirmatiuè & dico primò non tantum meruisse Christum vitam æternam hominibus: sed & ipsam destinationem ad illam: siue simplicem, & generalem, ac communem omnibus: siue efficacem, & specialem electorum, quæ specialiter vocatur prædestinatio. Ratio est quia Christus fuit primò decretus & prædestinatus ante alias omnes creaturas, propter suam excellentiam & amabilitatem in esse & in operari: Ergo propter ipsius opera præuisa potuit Deus velle salutem omnibus creaturis intellectualibus antecedenti illa & simplici voluntate quæ præcessit occasionem datam ex parte ipsarum creaturarum: ac multò magis alia voluntate consequenti & efficaci post præuisionem occasionis: maximè cum illa occasio sit fundata in Christi meritis, vt dicam paulò post. Si autem posuit veraque voluntas fundari in Christi meritis vt in ratione motiua: conuenientius est Christi dignitati vt ita factum sit. Idque significat Apostolus, Ephel. 1. dicens: *Qui benedixit nos, Deus scilicet, in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Quo loco illa particula, *In Christo, in ipso, &, per Iesum Christum,* indicant meritum Christi, vt sequentibus Apostoli verbis clariùs explicatur, cum ait: *in quo gratis dedit nos in dilecto fili suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Neque aliter solet Scriptura meritum Christi designare, quàm illis & similibus loquendi modis.

36. Dices vt Christus mereretur hominibus & Angelis, oportuit Deum ratione prius ordinasse & acceptasse illius opera ad hoc vt angelis & hominibus prodesse possint. Ideo enim Christus nobis meretur, quia Deus voluit, vt nobis mereretur. Prius ergo Deus ordinavit vt merita Christi nobis prodesse possent, voluitque Christum nobis dare in mediatorem & merentem, quam Christus quidquam nobis meritus sit. Atqui cum voluit Deus Christum nobis mereri, deditque vt mediatorem: dedit propter aliquem finem supernaturallem, nempe propter gratiam & gloriam, ad quam merita Christi nobis prodesse: ergo priusquam Christus nobis mereretur, voluit Deus nobis gratiam & gloriam. Ergo Christus non meretur primam illam & simplicem atque antecedentem voluntatem qua Deus voluit homines & angelos ad gratiam & gloriam euehere.

37. Respondeo non esse necessarium vt Deus ratione prius voluerit gratiam sanctificantem & gloriam hominibus, quam vellet Christi merita ipsis prodesse. Potuit enim in eo significationis velle hominibus & angelis Christi merita, non vt media determinata ad gloriam & gratiam illis merendam: sed vt causas generales ad ea omnia, ad quae Christus vellet ea applicare. Tum praesciens Christi voluntatem futuram vt haberet confortes gratiae & gloriae, vtque sua merita ad hoc Angelis & hominibus prodesse: potuit id velle propter Christum, non solum vt causam finalem & exemplarem, sed etiam vt causam meritoriam. Atque ex ea voluntate secuta est preparatio mediorum, quae similiter Christi meritis tribuenda est: quatenus Deus propter ipsum preparavit omnibus proximè vel remotè media sufficientia ad gratiam & gloriam consequendam.

38. Dico enim secundò Christum meruisse hominibus omnia gratiae auxilia & beneficia, quibus, vi illius intentionis eos saluandi, disponuntur vt gratiam & gloriam consequantur, ac tandem ad illam perueniunt: tam ea quae praecedunt primam iustificationem, quam quae illam sequuntur. Probatu'r primò generaliter ex cap. 1. ad Ephes. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus, in Christo, &c.* Secundo, speciatim de vocatione, quae praecedit iustificationem, quaeque ad illam disponit, ita scribit Apostolus 2. Tim. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum gratiam qua data est nobis in Christo Iesu. De eademque sic loquitur Trident. sess. 6. cap. 5. Declarat praeterea, sancta Synodus ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum praeueniens gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione.* Tertio, de consensu nostro, quo Deo cooperante paremus vocationi, sic ait Apostolus Philippens. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, &c.* Et Ephes. 2. *Gratia enim saluati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus,*

*vt ne quis gloriatur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae preparauit Deus, vt in illis ambulemus. Nec obest quòd huiusmodi opera sunt actus nostri liberi. Nam sicut eo non obstante sunt Dei dona: ita sunt praemia meritorum Christi, quatenus scilicet sunt ex auxilio excitante & cooperante, per meritum Christi collato. Quarto, si iustificatio obtineatur per sacramentum ex opere operato, non est dubium quin institutio & vis sacramentorum sit fundata in Christi meritis. Specialis quoque fauor prouidentiae Dei, qua procurat aut permittit talem ordinem rerum, in quo prauidit fore vt applicarentur efficaciter siue adultis, siue paruulis, non minus debet meritis Christi tribui, quam gratia vocationis: quia nulla est ratio, cur applicatio meritorum Christi facta ex opere operantis detur magis propter merita Christi, quam ea quae fit ex opere operato. Quintò denique, de omnibus gratiae donis quae sequuntur iustificationem, ad perseuerandum, ad merendum, ad gratiam augendam, & ad consequendam efficaciter vitam eternam, ita scribit Apostolus Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, &c.* Et Ioan. 15. *Sicut palme non potest fructu fructu à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis, &c. Quia sine me nihil potestis facere.* Quòd aludens Trident. sess. 6. cap. 6. ait Christum in iustificatos in vite virtutem influere, tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur. Et sess. 4. cap. 8. *Nam quia ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus: sed cooperante, qui nos confortat (Christo) omnia possumus. Ita non habet homo vnde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.**

Dico tertio, Christum non meruisse omnia penitus gratiae dona nobis à Deo data quomodocumque. Primò enim non meruit seipsum simpliciter, qui tamen maximum Dei donum est, & ornamentum naturae creatae intellectualis, praesertim humanae, estque fundamentum aliorum omnium beneficiorum, quae propter ipsum nobis collata sunt. Secundo, non meruit similiter omnia sua merita, & opera vel passiones, quae tamen sunt respectu nostri Dei beneficia, quatenus in bonum & commodum nostrum cedunt. Tertio, siue illa merita fuerunt nobis primò applicata per Dei constitutionem, volens vt nobis prodesse: siue per Christi ipsius voluntatem id determinantis, vt paulò ante diximus; Christus non meruit primam illam Dei constitutionem, quippe quae necessariò presupponitur omni merito Christi vt nobis profuturo. Est enim causa necessaria vt nobis proficit: & nisi Deus ita vellet, non prodesse. Non meruit etiam illam suam voluntatem & determinationem: quia nemo meretur de seipso. Quare

Christus meruit hominibus omnia gratiae beneficia quibus ad gratiam & gloriam perueniunt, etiam primam vocationem.

39. Non tamen meruit omnia penitus gratiae dona.

non meruit ut vellet merita sua nobis prodesse. Posita vero illa applicatione vel constitutione, videtur Christus meruisse omnia gratia beneficia quae deinceps hominibus & Angelis collata fuerunt, ut probant argumenta superius proposita. Eo casu nimirum, quod nihil gratia cuiquam Deus impertuerit, nisi intuitu meritorum Christi, tum iis qui tempore Christum praecesserunt, tum aliis omnibus, simul aut post-existentibus. Neque propterea Christus non meruit omnes effectus nostrae praedestinationis. Nam dona illa gratia quae diximus eum non meruisse, non sunt effectus nostrae praedestinationis: sed ea tantum gratiae beneficia quae praesupponunt intentionem nos saluandi, ac vi illius preparantur & exhibentur.

40. Notandum tamen aliud esse quod Christus meruerit absolute haec omnia gratia beneficia: & aliud, quod meruerit comparative ut darentur haec potius quam illa, aut huic potius quam illi. Primum generatim verum est. Secundum est falsum in plurimis. Quamuis enim Christus illis pro quibus orauit specialiter, aut quibus sua merita efficacius applicauit, obtinere ut per media congrua, & specialem fauorem, ad gloriam perducerentur, ut Apostolis, excepto Iuda, & plurimis aliis pro quibus orauit specialius, & exauditus est pro sua reuerentia, tamen non meruit ut Deus hanc seriem rerum & mediorum salutis patris, profuturam, eligeret potius quam aliam: neque ut tam multis darentur media incongrua; neque ut illi pauci eligerentur praeter alios, quatenus istorum electio connotat aliorum derelictionem, a quibus isti secernuntur, & specialius diliguntur. Neque antecedenti sua voluntate, & applicatione efficaci meritorum suorum, secreuit omnes electo, & reprobis. Sed potius haec omnia reicienda sunt ad occulta & inscrutabilia Dei iudicia: non ad merita Christi, quae indifferenter se habuerunt ad illa, ut ad eorum opposita. Neque etiam est gratiae beneficium quod vocatio vel auxilia gratiae sint incongrua: quod hic deseratur alio electo: quod haec series rerum praeter alia meliori & fauorabiliori eligatur: ut propter illam comparationem sit recurrendum ad Christi meritum: ac non potius ad inscrutabile Dei iudicium.

Christus non meruit comparative, ut darentur haec potius quam illa, aut huic potius quam illi. Primum generatim verum est. Secundum est falsum in plurimis.

SECTIO V.

Respondetur arguentis contrariae sententiae.

41. Contra id quod diximus, meruisse nobis Christum primam uocationem, & auxilia quibus disponimur ad iustificationem, senserunt Capreol. Driedo, Ruard. & alij, quos citant & refutant Quar. tom. I. in 3. par. disput. 41. sect. 2. & Vasq. ibid. disput. 77.

cap. i. & sequentibus: quorum prior affirmat non esse audiendum in scholis, posterior non posse dici sine errore contra fident, quod Authores illi asserunt, Christum meruisse quidem ut paruulis baptizatis, vel adultis dispositis per actus fidei, spei, & charitatis, conferatur gratia iustificationis: at non meruisse ut paruulis applicetur baptizatus, neque ut adulti vocentur & disponantur per pios motus ad iustificationem. Fundamenta huius sententiae haec sunt. Primo quia D. Thom. 3. p. qu. 19. art. 4. ad 3. affirmat, sicut peccatum Adae non deriuatur ad alios nisi per carnalem generationem: ita meritum Christi non deriuari ad alios nisi per spiritalem generationem, quae fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur. Et in fine solutionis, si conferatur solutio cum argumento cui responderetur, tradit non credere sub Christi merito ut aliquis regeneretur. Secundo, Trident. sess. 6. cap. 3. significat merita Christi communicari iis dumtaxat qui renascuntur in Christo: & illam renascentiam esse rationem ut qui renascuntur, participent merita Christi: sicut generatio ex Adamo est causa ut qui ex illo nascuntur, contrahant peccatum originale & participent malo ipsius merito. Tertio, Paulus ad Roman. 3. affirmat nos iustificari gratis: & Ephes. 1. ait nos sorte vocari & eligi ad sanctitatem: quae falsa essent, si ipsa uocatio & dispositio ad iustificationem, esset ex Christi meritis, & ex iustitia respectu Christi. Quarto, Christus non meruit efficaciter ut omnes paruuli baptizarentur, neque ut omnes adulti disponerentur ad iustificationem: alioquin omnes paruuli baptizarentur, & omnes adulti disponerentur & sanctificarentur. Neque fuit ratio cur huic potius quam illi meruerit? cur v. g. duorum infantium moribundorum vnus baptizetur, alter non? cur duorum peccatorum vnus conuertatur, alter in peccatis mori finatur? Item si quis malitiose infantem baptizet suffocando in aqua, Christus non est causa talis applicationis, quae sacrilega est. Neque obest, inquiunt, quod in Scriptura & Tridentino dicatur vocari in Christo, & per Christum. Quia illa particula non semper significant causam meritariam: ut probant ex alijs Scripturae locis, in quibus multa dicuntur fieri in Christo, vel in Domino, aut in Spiritu sancto, vel per Spiritum sanctum, quae eorum nomine & institutione & voluntate aguntur, ac secundum ordinem, quem in Ecclesia posterunt, atque etiam ea quae secundum Christum fiunt, secundum Deum, secundum Spiritum sanctum. Ut Roman. 8. In quo (Spiritu sancto) clamamus Abba Pater. Et cap. 16. v. 1. Commendo vobis Phaben sororem nostram, ut eam suscipiatis in Domino, id est, secundum Dominum. Et v. 4. Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, id est, in negotio Christi.

42. Ad primum Respondeo D. Thomam aperte tradere sententiam nostram 3. p. q. 7. art. 9. ubi a gratiam Christo dariam fuisse, tanquam p. incipio cuidam vniuersali in genere habentium gratiam, cuius virtus se extendat ad omnes gratia operationes & effectus. Quod repetit art. 10. & 11. eiusdem questionis. Quare cum sibi non contradicat loco citato in obiectione, debet intelligi de applicatione efficaci in ordine ad sanctificationem. De qua etiam applicatione & communicatione loquitur Trident. ca. in 2. obiectione citato.

43. Quomodo dicatur gratia iustificari, & vocari sorte, ex parte nostri: quia nihil in nobis praecessit quod iustificationem mereretur, aut vocationem exigeret. Quare vtraque est gratia & fors ex parte nostri, quamuis sit meritum & iusticia ex parte Christi. Adde cum D. Thoma supra, plerumque pura Dei gratia esse quod hic potius quam alius vocetur efficaciter, aut recipiat sacramentum. Nam Christus non meruit efficaciter, vt omnes vocarentur congrue, aut Sacramentum reciperent, licet eius meritum ad hoc sufficiens esset: alioqui enim id omnibus contingeret, quia meritum Christi efficax non potest frustrari effectum. Neque etiam meruit, communiter loquendo, vt hic potius vocaretur quam alius, vocatione congrua & habitura effectum, vel huic potius quam illi Sacramentum applicaretur: sed meruit vt Deus prouideret omnibus de auxilijs sufficientibus, & de modo quo possent iustificari & saluari, siue per applicationem Sacramentorum, siue per proprios actus ex opere operantis, nisi staret per libertatem creaturarum, quibus salus propria & paruulorum commissa est. Quod autem Deus habeat seriem rerum & mediorum elegerit his aut illis profuturam, potius quam aliam, ad liberam Dei electionem, communiter rejiciendum est: non autem ad Christi merita de se indifferentia, nisi respectu eorum, pro quibus orauit specialiter, aut quibus antecedenter ad Dei electionem voluit sua merita efficacius applicari. Quod puto ipsum non fecisse respectu omnium saluandorum. Sed gratias quidem egit Patri de medijs congruis collatis iis omnibus quibus collata fuerunt, & pro iisdem merita sua obtulit. Pro alijs vero approbavit & voluit aeternam Patris electionem: atque pro gratijs quibuscumque, siue congruis, siue sufficientibus, conferendis aut collatis merita sua obtulit. At non eam differentiam primò ipse constituit: licet quibusdam siue dubio auxilia efficacia precibus suis & meritis specialiter obtinuerit, & propter eorum prauiisionem Deus ab aeterno efficaciter illos iungere decreuerit: sicut multi sanctorum impetrant à Deo aliorum conuersionem & salutem.

44. Ad quartum Respondeo, quamuis, vt iam diximus, Christus non meruerit efficaciter vt omnes vocentur congrue, vel recipiant

Sacramenta: neque communiter vt hic potius quam alius: Cuicumque tamen datur vocatio congrua, vel Sacramenti applicatio, datur propter merita Christi: Licet comparatio, & electio huius potius quam alterius, non sit communiter ex Christi merito. Potest autem facile vnum sine alio cadere sub meritum. Nam v. g. si quis habens decem filios, bene de rege meruerit: poterit ex intuitu meritorum eius magnum ali-quod beneficium vni ex filijs dare: quia cuius electio huius, potius quam illius, fit ex mera regis voluntate. Sic ergo quod duorum paruulorum moribundorum vnus baptizetur, alter non: quod duorum peccatorum vnus conuertatur, alter non: quodque infans à baptizante suffocetur malitiose: non est ex Christi merito quoad illam comparationem, quâ parte inuoluit vnus derelictionem, aut quoad malitiam suffocantis: quæ etiam non sunt gratia beneficia, sed mala à Deo permessa. Verum causa illorum proxima est libertas creaturarum: remota verò Deus ab aeterno elegit, aut permisit illum ordinem rerum, in quo hæc omnia sub conditione futura præsciuit ratione prius quam eligeret, aut permittere decerneret. Sed non elegit aut permisit comparatione propter Christi merita, vt iam sæpe monuimus. Quod est tamen fauoris & gratia in huiusmodi electione, aut permissione rerum, respectu eorum quibus profunt ad salutem, potest ac debet Christi meritis tribui, propter Scripturæ & Tridentini testimonia supra relata. Quibus non satisfacit quod respondent aduersarij.

Li cet enim particula, in Christo, &, per Christum, possint interdum aliter accipi, & in Scriptura locutiones similes aliter nunquam accipiuntur, quam pro causa meritoria: tamen cum possint loci citatis commodissime intelligi de causa meritoria, neque eam soleat Scriptura aliter explicare: & possint hæc facile Christi meritis tribui, sique conuenientius ipsius maiestati & ordini suavi diuinæ prouidentia vt ipsis tribuantur, ac denique ea sit communissima Theologorum sententia post Tridentinum, cuius verba sess. 6. cap. 7. non possunt sine violentia aliter explicari, contentione magis, quam simplicis veritatis amantes esse mihi videntur, qui huius sententia refragantur.

Adde non modò posse Scripturam & Trident. ita modò facileque intelligi: sed omnino debere. Nam negari non potest, quin loquatur Apostolus cap. 1. & 2. ad Ephes. de meritis Christi: id est esse repugnare Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis probat ex alijs locis capituli 2. ad Ephes. in margine citatis, ad quæ in textu planè alludit. Atqui Paulus non aliter ibi significat Christum nobis meruisse beneficia, quæ commemorat, nisi per illas particulas, in Christo, per Christum, per sanguinem, aut

Christus non meruit efficaciter vt omnes vocentur congrue, aut recipiant Sacramenta. Item omnis vocatio datur per illius merita.

35.

46.

Probatu
efficaciter
ex Apost.
& ex Trid.

in sanguine Christi: & eodem modo dicit cap. 1. v. 8. Deum suos benedixisse in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: & speciatim de beneficio vocationis ait v. 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus. Ergo ne sit aquivocatio in verbis Pauli, & probatio Tridentini sit fundata in Scriptura incerta & obscura, debent hæc accipi eodem sensu: ac proinde dicendum vocationem, iuxta Paulum, dari propter merita Christi. Idem concilium Trident. sess. 6. cap. 3. loquitur expresse de merito passionis Christi, cui tribuit nostram iustificationem. Ac deinde coherenter loquendo, docet non modò ipsam iustificationem, sed & eius exordium, à Dei per Iesum Christum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, sine illis eorum meritis. Quare non sine causa Theologi sapientissimi supra citati censent contrarium esse erroneum, & non esse in Scholis audiendum.

47. Obijciæ contra responsum supra datum, ex eo facti Christum non esse causam electionis eorum omnium, qui ad gloriam efficaciter aliguntur. Quia electio dicitur comparationem, & derelictionem alterius. Christi autem merita non sunt causa cur alij derelinquantur. At hoc est contra Apostolum Ephes. 1. Elegit nos in ipso &c. Respondendo negando sequelam: quia vt Christus simpliciter dicatur causa electionis, sufficit quòd fuerit causa dilectionis erga electum, & beneficii ipsi collari: quamvis non sit causa vt alij derelinquantur, & non consequantur idem beneficium. Sic enim misericordia Dei dicitur esse causa beneficiorum, quæ Deus nobis confert præ alijs, atque ipsius salutis, & vitæ æternæ: quamvis non sit causa, cur alij damnentur.

A P P E N D I X.

De libro vitæ, & de reprobatione.

48. Liber vitæ quid sit?

ET hæcenus de prædestinatione; Nam quæ addit S. Thom. q. 24. de libro vitæ, sunt in textu facilia. Summa doctrinæ illius est. Primò, prædestinationem dici metaphoricè librum vitæ: quia sicut Scripturæ libri est signum eorum, quæ faciendæ sunt: ita Dei notitiæ & memoria, quæ firmiter tetinet se aliquos prædestinasse, est signum apud ipsum, eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam: iuxta illud 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signiculum hoc: nouit Dominus qui sunt eius. Secundò, librum istum non respicere propriè vitam gloriæ & finem supernaturalem, ita vt sit conscriptio quædam, siue notitiæ electorum ad vitam gloriæ æternæ, quia id, ad quod eliguntur aliquis, & conscribitur, habet rationem finis. Sicut miles non eligitur, aut conscribitur, vt armeretur, sed vt pugnet. Tertio, cum liber vitæ sit conscriptio ordinatorum in vitam æternam: & aliquis ad illà ordinetur ex duobus, scilicet

ex prædestinatione diuina; & ex gratia: quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna: Secundum priorem ordinationem nemo potest deleri de libro vitæ: quia illa nunquam deficit. Secus verò secundum posteriorem: quia multi deficiunt à gratia per peccatum mortale. Priores sunt scripti simpliciter in libro vitæ: posteriores tantum secundum quid. Hæc D. Thom. de libro vitæ.

De reprobatione verò patet ex dictis, quid de illa nobis sentiendum sit. Nimirum Deum neminem reprobare, nisi consequenter post præuisionem mali status finalis. Causamq; reprobationis non esse Deum, sed negligentiam, vel malitiam hominum non obsequentium Dei voluntati, & intentioni saluandi omnes. Effectum denique reprobationis vnicum esse; nempe damnationem æternam in executione, communiter, & ordinariè loquendo. Nam extraordinariè, si Deus aliquem paulò ante mortem deserat in perpetuum, volens efficaciter illum pro peccatis præteritis æternæ morti addicere, nolisque amplius auxilium ad penitendum illi dare: sicut, iuxta multorum sententiam, Angelis peccatis dare noluit: vel si morte eum afficiat in vindictam peccati non remissi, ad cuius penitentiam non vult illum expectare, quo pacto erga Core, Dathan, & Abiron se gessisse videtur, quos viuos in infernum demersit: tunc talis desertio, & talis mors, est effectus reprobationis, id est, efficacis voluntatis, quæ Deus statuit illos damnare in vindictam priorum peccatorum. Illa verò tria, quæ dicuntur à quibusdam esse effectus reprobationis, nempe permissio peccati, obduratio, & perseverantia, aut mors in malo statu, sunt potius illius causæ, excepto casu extraordinario, de quo supra.

Porro sicut prædestinationi respondet liber vitæ, ita dici potest reprobationi respondere metaphoricè librum mortis, id est, notitiæ, & memoriæ Dei, quæ firmiter retinet se aliquos propter peccatum finale addixisse morti æternæ. Licet enim D. Thom. q. 24. art. 1. ad 3. dicat, non esse consuetum conscribi eos, quæ repudiantur, sed qui eliguntur: idèque reprobationi non respondere librum mortis, sicut prædestinationi respondet liber vitæ, consuetum est tamen conscribi eos, qui ad mortem damnantur: certumque est habere Deum præscientiam indelebilem eorum omnium, qui pereunt, æquè ac habet eorum omnium, qui saluantur; & sicut ille vocatur liber vitæ metaphoricè; sic iste potest liber mortis appellari. Quo loquendi modo vtitur Ecclesia, quando in officio defunctorum sic canit: Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde minus indicetur. Quapropter librum mortis æquè ac librum vitæ admittunt multi è sanctis Patribus, vt Basil. in cap. 4. Isai. paulò ante medium. Nazianz. orat. 9. quæ est ad Iulianum tri-

Hieron.
Euthym.

butortia exactorem, aliquantò ante finem. Hieron. in cap. 7. Daniel. ad illa verba, *Judicium dedit, & libri aperti sunt.* Euthym. in Psal. 68. ad versum illum, *Cum iustis non scribantur*, quorum testimonia relata vide apud Didac. Ruis disp. 60. de prædeterminatione sect. 5. Idemque censent è recetioribus Vasq. & Molin. ad q. 24. S. Thomæ. Fautet etiam Scriptura Psal. 138. *In libro tuo omnes scribentur*, omnes, inquit, Boni, & mali, tam iusti quàm peccatores, ut ait Euthym. in eundem locum. Et Jerem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*, id est, in libro reprobationis, ut exponit Basil. in cap. 4. Isaia. *Dua enim*, inquit, *intelligi debent descriptiones. Una quidem est eorum, qui ad vitam: altera autem eorum est, qui scribuntur ad perditionem.* Et Apocal. 20. v. 22. *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum: & qui non est inventus scriptus in libro vite, missus est in stagnum ignis, ut additur v. 15.* Quanquam convenientius appellatur liber vite memoria prædestinatorum in mente divina, quàm memoria reprobatorum, liber mortis, propter aliquas è rationibus congruis, quas affert Did. Ruis sect. cit. vbi fu-

sius hæc prosequitur, & cætera, quæ de libro vite dici possunt. Nimirum, inquit, quia liber scribitur, ut ante oculos scribentis versetur, & ad perpetuam rei memoriam. At Deus potius obliuiscitur quodammodo reprobatorum, qui & æterna memoria indigni sunt, iuxta illud Osee 1. *Obiurione obliuiscar eorum.* Contra verò, *In memoria æterna erit iustus*, Psal. 111. Item, quia sicut in Scriptura dicitur Deus magis specialiter scire ea quæ approbat, & nescire quæ reprobat. Matth. 25. Luc. 13. & 1. Cor. h. 14. Sic liber dicitur magis specialiter ille, qui continet nomina electorum; de quibus dicitur. Timoth. 2. *Cognovit Dominus qui sunt eius*, iuxta probabilem multorum interpretationem. Quo sensu Euthym. loco proxime citato sic ait: *Liber Dei est scientia, & scientia, Scriptura verò, perpetua memoria.* In libro igitur diuine scientie omnes scribentur, tam iusti, quàm peccatores. Verum hic diuina scientie liber magis est vniuersalis. Est etenim alius liber scientie Dei magis priuatus (id est magis proprius) in quo soli iusti scribuntur ea ratione, quod eos tantum cognoscere, hoc est, approbare dicitur: iuxta id quod scriptum est, *Novit Dominus vias iustorum*, Psal. 1. v. vii.

DISPUTATIO

VIGESIMA SECUNDA.

De potentia Dei.

Sectio I. *An, & quomodo Deus sit omnipotens?*

Sectio II. *De actibus diuinae potentie.*

Sectio III. *De obiecto omnipotentia diuinae.*

Sectio IV. *An detur collectio omnium possibilium, & solutio argumentorum in contrarium?*

Sectio V. *Soluuntur alia tria argumenta contra collectionem possibilium.*

Sectio VI *Conclusio præcedentium, & maior confirmatio vera sententia.*



DE potentia Dei disputat S. Thom. tota quæst. 25. & art. 1. docet Deum esse maximè, & summè potentem ad agendum: quia posse agere pertinet ad perfectionem: vnumquodque enim secundum quod est actu, & perfectum, est principium actus alicuius. Deus autem perfectissimus est. Sicut è contrario, posse pati ad imperfectionem pertinet. Patitur enim vnumquodque secundum quod